FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Lebenslauf von Johann Hiob Wassmuth.

Wassmuth, Johann Hiob

Halle (Saale), [1702]

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-172615

Visual Library

1HC 821

J. J. J.

Cui vitæ meæ curriculum delineaturus sum, ita illud instituam, ut exordium a gratia divina ducat sermo meus, atq; in eadem suum inveniat exordium. Omnis quippe vita mea est gratia, est favor, est benignitas Dei O.M. Et o si centu mihi linguæ, oraq; essent centum, quò plenius in immortales Dei laudes excurrere sit integrum. Gratia Luc Dei anno 1681, die post inchoatum annum 18 in mundum editus sum Parentibus sc., quæ misericordia est summi Numinis, Christianis, ueraq; pietati deditissimis Patre, Nicolao Haßnuß, Scholæ tum Moderatore, cujus Majores ad unum oes natale solum agnouere Marchiam, et quidem Pritzwalcum, Prignitensis Circuli urbem non ultimam; Matre, Isabe Laurentin, filia Isaaci Laurentij, Præpositi quondam Neobrandenburgensis, ac Scholæ ibidem inspectoris, cujus Majores Patriam tenerantur Saxoniam, urbem in specie Schrebergam circulo Misniæ montano inclusam. Parcumum, opidum est Megapolitani Ducatus non infimum, ubi Supremum totius Ducatus Judicium exercetur, incunabula mihi dedit. Cursu naq; siteto luci expositus eram peccato Originali infectus, cum per baptismum Parentes Ecclesiæ coetui memet insererе suum ee rebantur, pactoq; cum Deo iniendo destinabant diem 20 Jan., quo die in Sacro baptismatis fonte a peccatorum sordibus, en gratiam diuinam! sum ablutus, ubi simul, puto non sine omine, nomen mihi Johannis Jobi impositum est, altero gratiam Dei, altero crucem Christianam notante; cujus utriusq; significationem abunde satis expertus sum, ita tamen, ut secundum prænominum ipsorum ordinem præuia diuina gratia ad ferendam crucem ac exercendam patientiam animum disposuerit. Infans adhuc aõ 1683 variolis, aõ 1684 papulis succubui uehementer, illis non diu post discedentibus, his adeo infestantibus, ut uestigia non solum conspicere adhuc liceat, uerum m. per integrum tum temporis mensem coecitatem adtulerint. Heu miserum! Sed o summam Dei gratiam, quæ uisum mihi restituit. Eluctatus hisce ex malis opera B. Dñi Parentis mei, Pietatis sacris inde ab infantia initiatus sum, quippe uerba tum Catechismi, tum dictorum Sctæ eminentium, imo precum tamdiu mihi præiuit, donec per ætatem liceret ad Scholæ adyta accedere. Sed uero ele-

menta uix dignoscere ualens fortunam patris sequi debui, qui Parcumo Arolamum uocatus abiit, ubi Rectoris Scholae munus per decennium fere ita gessit, ut memoria ejusdem, sit laus DEO, adhucdum ibi floreat. Missio hic Alphabeto, cum ingenium Audiij aptum eluceret, ad ea me dedicit B. Parens, qua solidiori doctrinae fundamentum sternunt solidum. Ad autores legendos jam pedem promouebam. Primum quidem Castellionis Dialogos a Viro B. Paulo Leckfitzio Scholae Cantore; post Cornelium Nepotem ab eodem; tum Virgilium & Horatium a Viro tum Praenob. Dno M. Joh. Georg. Buschmanno, nunc pro tempore Concionatore Praetidiarij militis Sedirensis; ad grandiorem aetatem provectus Liuij orationes a Geserio editas sub B. Parente meo; dein Curtium; nec non Ciceronis orationes varias, Epistolasq numero non paucas audiui explicata. Graecae linguae fundamenta sub Dn. Buschmanno jacta ad majus fastigium sub B. Parente meo deduxi. Nec privata Parentis cura Hebraica neglecta sunt, quin potius ijdem imbibendis animum adhibuerem. Sed cum fato diuino, a Seren. ac Celf. Mecleub. Principe Gustauo Adolfo b.m., B. Parens Rector Gymnasij Gustrouiensis uocaretur, abruptum quidem ad tempus est studiorum meorum filum, altioribus tri. per gratiam Dei studiorum generibus redintegratum. Fundamenta hic Philosophiae sanioris jeci, Theologiam non minus Aromaticam exorsus. Publice Ciceronis oraces varias, priuatim Curtium & C. J. Caesarem B. Parens praelegit. In Graecis hic legebatur a Viro Clarissimo Dno Jac. Dürfeldo Concl. meritissimo Posselij volumen Evangeliorum ac Epistolarum metrice redditum; in Hebraicis Psalterium. Geographica publice non negligebantur, quin potius fervore nqm defervescente tradarentur. Et cum Serenis. Dux b.m., Musarum Deus, coelestem ac terrestrem globos, quibus major nec nouit Saxonia inferior, dono daret Gymnasio suo illustri, acuebatur tum docentium, tum discentium etiam studium atq diligentia. Ad Ovidium hic accessi, Libros Tristium & de Ponto percurrens. Ast quartus uix annus erat circum actus, cum praematura quidem, eheu! beatissima tamen morte Dng Parens, quinq Scholarum patastris indutus, in Scholam illam coelestem uocaretur, relictis quatuor numero orphanis uiduaq moestissima. En crucem, qua non altera in terris major est tristiorq! Destituta igr sic Schola Illustri Moderatore suo,

dubium, an pregui premente re domi arcta Studia possem, erexit Divinitas gratiam, viam indice digito monstrans, qua in loris peregrinis vivere, Studiisq; ulterius incumbere possem. Sedinum, caput Pomeraniae Superioris Sueciae, alimenta per biennium subministravit. Usus hic manuductione Virorum, quorum cum Orbe peribit memoria, in Philosophicis & Oratoris Dni M. Georg. Wehlingii Schola Seratoria Rectoris, ubi cursum Philosophicum, Theologiam item Positivam B. Königii iterata vice absolvi. Poëtas Senecam & Tragoedum ex parte, Horatium ex parte; Graeca; Stilum; Geographiam; ex Historicis Justinum a Dno M. Redhelio Schola Concl. audivi. Tandem Scholis inferioribus dixi vale, Rostochium ad superiora haurienda profectus. Anno M. DCC die 16 Apr., gratia Dei, in album Studiosorum receptus, ijs Studijs, quibus per vitam potissimum me mancipavi, animum adplicui. Sunt haec humaniora. Biennium hic destinaveram, quod & Studiorum horum cultura emensus feliciter sum. S. ultimo Theologiam colui; in qua opera Viri toto Orbe Celeberrimi Dni D. Johannis Fechtii usus, Collegium Theticum simul ac Exegeticum, item Examinatorium in Königii Theologiam Positivam habui. Philologiae, quantum per tempus suntusq; licuit, operam dedi. Hebraica fundamenta accepi a Viro Sane Reverendo & Generosissimo Dno D. de Krakewitzer S. Lingv. ac Catech. Prof. Publ. Chaldaica principia dedit Vir Reverendus Dnus M. Haltermann, Pastor jam ad D. Petri, (sub eo praesidio disputationem quoq; habui de formulis juramentorum Judaicorum ao 1701, die 8 Oct.) vigilantissimus. Varias praeterea hic sustinui calamitates, quas recensere lubent super sedebo. Correptus distinctis aliquot vicibus morborum atrocitate, ereptus divina tandem gratia sum. Quo jam cum dimidio anni praeterlapsi erant, ubi autoritate Dni Consororini mei impellebar, Halensem ut adirem Academiam. Promtum ei animum, sed difficultates longe majores erant superandae. Taceo jam Professorum nonnullorum Rostoch. monita, taceo Commilitonum quorundam dicta sequora. Nec tamen haec ipsa a proposito me revocare meo erant valida, quin potius, bono cum Deo die 4 Septemb. Roseto nostro exirem, amicos per tempus meaemum inmisurus lenitum eorum animos. Post conflictus varios in

portum tandem veni. Lectiones hic Dni D. Breithaupti Theticas, Dni Prof. Francii Hermeneuticas, Dni Prof. Michaelis in N. T. auspicatus divina gratia sum. At divina gratia, quam per totum vitæ meæ, quod vixi, spacium, uberrime sum expertus, hic pleno qs. thylacoois generis fructus mihi ingessit. Fouit, aluit, sustentauit me Deus O. M. hic loci, modo plane singulari, ut, qui, unde vivere possem, non habebam, per semestre spacium vitæ amictus, omnibusq; durissimo anni tempore necessariis mihi prospexerit. In laudes divinæ gratiæ merito nunc mea sese resolueret oratio; ast, liceat mihi uti Symbolo Seren. Principis Gustrovienf. b. m. ex illo Davidico petito, ac exclamare:

Quid retribuam Domino?

Veneror interim summam Dei Majestatem humillimis gratiarum actionibus, ac indefessis ab eadem flagro precibus, velit & in posterum gratia sua mihi adesse, omnesq; et actiones & studia eo dirigere, ut solummodo in honorem Nominis divini æternum, Ecclesiæ aut Scholarum usum, meiq; ipsius salutem cedant æternam, per Jesum Christum.

Johann: Jacob: Haß-
muth:
S. Theol. Stud.